



The Holy See

FRANCISCUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

LITTERAE DECRETALES

***QUIBUS LAURAE A SANCTA CATHARINA SENENSI MONTOYA Y UPEGUI
SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR****

«Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus» (Mt 2, 14).

Beata Laura a Sancta Catharina Senensi, fide flagrans atque studio compulsa Evangelii indigenis Columbiae gentibus nuntiandi, suam in missionali navanda opera consumpsit vitam ideoque hanc ob causam evangelizatrix illius Nationis habetur.

Die XXVI mensis Maii anno MDCCCLXXIV in pago Jericó, Columbiae Antiochia territorii intra fines, ex Ioanne a Cruce Montoya Gonzáles ac Maria Dolorosa Upegui Echevarría orta est. Tres annos nata patrem amisit atque mater, totam familiam cum sustinere non posset, eam avis custodiendam commisit. Ab eis optime de humanitate ac religione est docta. Magistrae gradum consecuta, docere coepit, primum ut moderatrix « Scholae Superioris Dominularum » Amalfiae in Columbia, deinde Fredoniae et Dominicopoli, atque anno MCMIX ut magistra Collegii Immaculae Metellini. Sed ad Christi sequelam per religiosam vitam vocationem, quam puella perceperat, vehementius animadvertit, et anno MCMVII, XXXIII annos nata, cum Marinillae Antiochiae esset, puellarum docendarum causa, Dei Paternitatis mysterium peculiarem in modum persensit. Quod est experta summi fuit momenti, quodque eam ad veram missionariam vocationem adimplendam compulit, cum in ea spiritalis maternitatis desiderium conciret. Magis magisque operam dare coepit ut christiana fide carentes evangelizaret, peculiarem in modum indigenas qui lata Columbiae loca incolebant. Anno MCMVIII primum missionarium iter una cum duobus sororibus et sacerdote ad regionem Guapá-Chamí suscepit. Ex hoc primo opere effectum est ut LXXII indigenae baptizarentur et consilium ab ea caperetur totam ad missionarium munus

vitam dicandi. Medellensi Episcopo fulta, Congregationem religiosam condere coepit, quae inde ab initio « Congregatio Missionariorum Mariae Immaculatae et Sanctae Catharinae Senensis » est appellata. Primum anno MCMXVI est comprobata, cuius prima fuit generalis antistita, quam usque ad annum MCMXXIX rexit et deinde ab anno MCMXXXVIII usque ad mortem. Diuturnum post morbum, sella rotali novem per annos perducta, Metellini die XXI mensis Octobris anno MCMXLIX obiit, sororibus suis, sacerdotibus, qui eam probe noverunt, omnique Columbiae populo complorata, qui statim eam « Columbiae missionariam » proclamavit. Conditrice viva, Congregatio celeriter crevit et plus quam centum domus in Columbia, Aequatoria et Venetiola constitutae sunt. Complures iuvenes, Conditricis persequentes exempla quae studiosam precationem cum catechetica opera copulabat, eam comitabantur, ut « indigenae fierent cum indigenis ut Christo omnes lucrifacerent », quemadmodum dictitabat beata Laura.

Propter sanctitatis famam, quam viva et mortua obtinuit, Processus Informativi in Medellensi archidioecesi annis MCMLXIII-MCMLXIV sunt constituti. Causa per Congregationis de Causis Sanctorum Decretum anno MCMLXXVI incohata, Processus Apostolici annis MCMLXXVI-MCMLXXIX sunt constituti. Die XXI mensis Ianuarii anno MCMXCI Summus Pontifex sanctus Ioannes Paulus II virtutes heroum in modum esse exercitas declaravit atque pro beatificatione putatum miraculum est exhibitum, quod ad miram sanationem uteri canceri ad exitum vertentis. Post Decretum de miraculo promulgatum die VII mensis Iulii anno MMIII, beatificatio die XXV mensis Aprilis anno MMIV acta est. Pro canonizatione beatae Laurae Montoya sanatio exhibita est incurabilis cuiusdam morbi. Dioecesana Inquisitio in Medellensi archidioecesi annis MMV-MMVI est celebrata. Medici Periti Congregationis de Causis Sanctorum die XIV mensis Iunii anno MMXII sanationem ad scientiam inexplicabilem putaverunt. Cum Consultores Theologi in Congressione peculiari atque Patres Cardinales Episcopique die X mensis Decembris eiusdem anni faventem sententiam tulissent, Decessor Noster Benedictus XVI facultatem fecit ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo ederet. Idem Pontifex pro optata illa canonizatione die XI mensis Februarii anno MMXIII Consistorium constituit et decrevit ut beatae Laurae a Sancta Catharina canonizatio die XII mensis Maii anno MMXIII sollemniter celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc ediximus formulam: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Antonium Primaldum et Socios, Lauram a Sancta Catharina Senensi et Mariam Guadalupe García Zavala Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuantes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuscumque rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die duodecimo mensis Maii, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri primo.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

*AAS, vol. CVII (2015), n. 3, pp. 239-241.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana